

---

## P R A E F A M E N.

---

**J**am inde ab anno 1725, ex quo regia auctoritate nobis concessum est privilegium exclusivum, edendi Dispensatorium Borusso - Brandenburgicum, tertia haec est recensio, quam curare et luce publica donare consultum nobis visum est; non quidem, ut imitemur exempla Dispensatoriorum, quae recentius apud exteros prodierunt, quibusque justum pretium statuere non recusamus, cum sint documenti instar, quanta incrementa ceperit harum quoque rerum scientia, sed potius persuasum nobis ha-

buimus, editionem Dispensatorii nostri anno 1781 excusam, haud pauca medicamina, tam simplicia quam composita, genio nostro non solum minus accommodata, sed etiam superflua complecti.

Hanc ob causam decrevimus, sublata ista, quantum potuit, medicamentorum farragine, alia remedia, experimentis chemicis et pharmaceuticis satis probata, subsituere, ideoque pharmacopolis in parandis medicaminibus viam expeditiorem et tutiorem monstrare, quinimo eos liberare ab excusatione, aliqua ex parte probabili, quod superflua et inutili medicaminum copia reliquorum praestantiorum inveniendae pretium nimis augeatur, cui incommodo etiam nova Taxa medicinalis propediem promulganda occurreret.

Neque vero ullo modo praeterendum est si silentio, susceptum esse opus moderante summo nostro antistite, duce bellico et statuum administro Illustrissimo Comite a Schulenburg Kehnert, qui sub auspiciis Friderici Guilielmi III. patris patriae, rei medicae ac chirurgicae augendae et recte administrandae egregie summoque studio ac labore consulens et providens, selectos etiam artis peritos constituit, quorum unito studio et labori haec pharmacopoea novam suam constitutionem et formam debet.

Brevem materiam pharmaceuticam Dispensatorio praemittendam esse existimavimus, ut simplicia, ex peregrinis praesertim regionibus ad nos adlata, eo facilius innotescant pharmaciae studiosis et pharmacopolis; novam quoque ad exemplum celeberrimorum nostra aetate Chemicorum terminologiam sequentes, ne terminorum noviorum forsitan ignari, in errores incidant, non solum haecenus usitata nomina retinuimus, sed etiam indicem pharmacopoeae junximus, cujus ope pharmacopoeae formulas praescriptas medicorum facili negotio intelligent.

Quod remedia attinet arte chemica praeparata et composita, illis summa fides ac integritas denegari nequit, cum a viris in hac arte versatissimis non una vice, sed pluries, omni studio ac solertia elaborata prodierint.

In remediis compositis, Opium continentibus, semper proportionem indicavimus, nec minus certum rectumque medicaminum tam solidorum quam fluidorum pondus constituimus, ne error, immo vitae periculum inde enascatur.

Calci operis Selectum medicamentorum adiecimus, in utilitatem minorum urbium accommodatum, experientia edocti, frustra peti a pharmacopolis mi-

( VI )

norum urbium, ut pharmacopolia tam copiose instruant, quam illi, qui in urbibus majoribus artem pharmaceuticam exercent.

Fatemur denique, non pauca in hoc Dispensatorio superesse remedia tam simplicia quam composita, quae quidem oblivioni jure tradi potuissent, sed opinioni aliquid dandum erat.

Labore nostro L. B. utere et conatibus nostris fave.

Berolini d. 12. Augusti 1799.

---